Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1523
Quelle:
Copyright:

edoctus sum relatu fide dignorum, quod nec vnum errorem probare potuit przibram super Anglico, et si ego mentiri vellem, auditorium totum scit, in quo defecit, quia actus inchoatus per prefatos Magistros perfectum non suscepit complementum. Atqui *Przibramius* cum *Paynio* congressus est a. 1427. et 1429.

Codici Membrana eleganter exarata, sed mutila subtexta est, sistens *Tabulas Indulgentiarum* collatarum bene facientibus Ecclesiae *S. Galli abbatis in Ciuitate Pragensi* a quibusdam Episcopis, quorum adhuc legi possunt: *Adenulphus Consanus Archiep. Nicolaus Tortibulens. Jacobus Calcedoniens. Angelus Fesulan.* et *Bonifacius Parentin. Epp.* Adscriptus est *Bonifacii Pape octauui Annus sextus*, et infra ejus Ratihabitio: — — *nostra ordinaria qua fungimur confirmamus XL. Dies hujusmodi remissionis et gracie — — appensione muniti. Sub Anno Domini Millesimo. CCC. primo. ij. Idus Julij Pont. nostri anno Sexto.*

CCCCXI.

934 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 175. 4. non una manu exaratus, constat sequentibus: I. Indice alphabetico in *Decretum Gratiani*, qui ad calcem scriptus dicitur et finitus: *in decollatione Sancti Johannis Baptiste, hora quasi XXII. in Basilea. Anno M° CCCC° XXIII.*

II. *fol.* 24. Indice Locorum S. Scripturae, quales habemus ad calcem Operum SS. PP. Hic vero idem labor impensus est a solerti Discipulo Operibus *Joh. Wiclefi*, ut Doctor hic, quem sui *Evangelicum* dixere, nulla re priscis illis Ecclesiae Doctoribus inferior discederet; nam et Opera ejus Summariis, Notisque diligenter instructa, et textos eorundem Catalogos plus vice simplici vidimus, qua in re *Bohemos* prae ipsis ejus Popularibus elaborasse arbitror.

III. *fol.* 109. sequitur absque titulo Ejusdem *Pastorale.* Initium: *Cum duplex debet esse officium christiani* &c. Ut alias. In praesenti desunt extrema.

IV. *fol.* 133. absque titulo Ejusdem *Speculum secularium Dominorum.* Initium: *Cum veritas fidei eo plus rutilat* &c. Ut alias. Hic vero mancum.

V. *fol.* 139. p. 2. item absque titulo Ejusdem *de Sex Jugis.* Initium: *Ut simplices Sacerdotes zelo animarum succensi* &c. Ut alias.

VI. *fol.* 145. absque titulo Defensio IV. *Articulorum*, quos a. 1421. *Pragenses* e mente *Wiclefi* et *Hussi* publicarunt, quique prostant in *Cochlaei Hist. Hussit.* L. V. p. 199. et a nobis non semel allati sunt. Incipit haec Defensio: *Quia fideles ut supponitur christiani inhabitantes regnum Boemie conceperunt, qualiter propter peccata superiorum et specialiter sacerdotum multa mala in christianismo*